
SERENISS. VINCENTIO GONZAGAE MANTVAE, AC MONTISFERRATI DVCI

Optimo Sacrum.

LODOVICI ARRIVABENI PATRITII MANTVANI CARMEN.



MANTVAE,

Apud Iacobum Ruffinellum. M. D. LXXXVIII.

Ex Consensu Superi orum.

LODOVICVS ARRIVABENVS,

ILLVSTRI FEDERICO CATTANEO PATRITIO Mantuano, viro ornatiss. S. P. D.

Q*VAE SIXTVS Pont. verè Max. arma, superioribus diebus, dono dedit VINCENTIO Gonzagæ, Principi, pòst hominum memoriam, omnibus numeris absolutissimo, mihi ansam dederunt nonnullos pangendi versus, quos, quia nostri, quę tua est humanitas, amantissimus*

A 2 es,

es, ad te misi; vt, si tibi, synceri, & subtilis iudicij viro, non indigni visi fuerint, qui à regio Iuuene legantur, eum, nostro nomine, hoc, quale id cunque sit, munusculo, afficias: quod quanquàm longè infrà illius esse merita satis video, qui tamen quod potuit, præstitit, tantùm abest vt is mihi despiciendus esse videatur, vt aliquo etiam numero, ac loco haberi debeat: grati enim animi, & beneuoli, ac plura, Si per tenuitatem suam liceret, daturi, significatio, elucet in eo. Quid enim caussæ fuisse putemus cur ità Choerilum, omninò malum poetam, optimus Rex, & maximus Imperator multis donauerit philippeis, nisi quòd, non quid ille, sed quò tandem animo scripserit, prudentissimus Princeps consyderauerit? Vtinam quemadmodùm virtutis, ingenij, fortunæ prestantiam Serenis. VINCENTIVS est consequutus, ità suarum laudum præconem Homerum inueniat, quod vnum inuidisse, quem modò meminimus, Alexander Achilli visus est: egent enim scriptore luculento clarissimi Duces, qui fortia illorum facta, & res fœliciter gestas quæ per se se in obliuione iacerent, immortalitati commendet.

DVM fundit de more preces, celſumq; Tonantem
Conſulit, electum multis de millibus, vnum
Quem velit eſſe ducem populo, qui terreat hoſtes,
Finibus & patrijs compellat cedere; cœlum
Diſcindi medium viſum eſt (mirabile dictu)
Omniaq; inſolito perfundi lumine: binos
Vt ſi quis Soles videat ſplendeſcere Olympo.
Tum Iuuenis forma egregia, radiantibus alis,
Albo ſpectandus contexta vellere palla;
(Qualis inacceſsis quæ rupibus Apœnini
Nix cadit, aut mulctris quę excepta eſt copia lactis)

Orantem aggreditur, dictisq; affatur amicis.
Vrbis,& Orbis amor, SIXTE ò ter maxime, salue,
Qui premere, & laxas Orbi potis es dare habenas:
Te pater omnipotens, qui torquet fulmina dextrà,
Audijt ex imo ducentem pectore voces,
Atque tuos gemitus animi miseratus ab alto.
Quæ secum voluens tibi præcipit, ordine pandam.
Est locus Hesperia in magna, quà Mincius alga
Implexus crines, infert se turgidus alueo
Fluuiorum princeps, & tardis flexibus errat.
Hìc præstans animi est iuuenis, formaq; decorus,
Qualem, qui cunctas collustrat lampade terras,
Astrorum decus haud vidit formosus Apollo.
Hoc nemo studijs pacis præstantior, alter
Nec belli tractabit opus maioribus ausis.

Quo

Quo, trepidus det terga fugæ, ductante cohortes,
Frigore concretis quem tellus misit ab oris,
Quà Tanais secat arua, ferox quantumlibet arma,
Et vestras temnat vires: non semper abibit
Impunè, atq; iugum, quod visus nolle subire,
Accipiet, tellusq; diu dominata tyranno,
Quam pius effuso sacrauit sanguine CHRISTVS,
Excutiet pondus, libertatemq; capescet.
Nec tantùm hoc faciet facinus, sed sentiet omnis
Arma Ducis, latum quà Sol vtrunque recurrens
Aspicit Oceanum: Spolijs tùm diues opimis,
Inuectus centum claris Romana triumphis
Mœnia, ludorum pompa ingenti, plausuq; fremēte
Vrbe, redimitus flauentia tempora lauro,
Persoluet vota in templis, sublatus ad astra,

Atq;

Atq; pater patriæ magna ter voce vocatus.
Tum ſeptem pulſi referent ad ſydera colles.
Hinc alij egregio iuueni ſpirantia Signa
Conflabunt; viuos pario de marmore vultus
Hi ducent: illi victuris nomina chartis
Committent, quæ nulla queat delere vetuſtas.
At dabit hæc hominum pietas; ſed maximus illi
Dux ſuperùm, pulchra pro relligione periclis
Exhauſtis toties, exantlatoq; labore,
Excepto aligerùm turba, requieſcere in *aula*
Cœleſti æternùm dabit. illic omnia cantu
Miſcentur, dulciq; ſono, feſtisq; choreis;
Et ver perpetuum fœlicia pectora mulcet.

CVR nouus hic terras conuestit lumine fulgor,
Et Sol nunc solito clariùs orbe micat?
Nimirùm dedit iste dies te, maxime Princeps,
Nobis, quem Parcæ, stamina longa manu
Ducentes, cecinere: videt qui magnus Apollo
Euentura procùl, protulit esse diem,
Quo illuxit nullus terris fœlicior, vndè
Italiæ, atq; Orbis sit benè fulta salus.
Quippe tuo ductu pars hæc pulcherrima mundi,
Quà Sol exoritur, proferet imperium;
Et quà descendens vitreas se condit in vndas;

Nulla vnquàm vt fuerit Terra beata magis.

Tum te victrici lauro caua tempora cinctum
Portabit niueis currus eburnus equis.
Et miles magna plaudens per compita voce,
Edet lætitiæ plurima signa suæ.
Atq; Duces captos, atq; Oppida victa stupebit
Antè leues currus Itala terra tuos.
Et, quacunque feres gressus, comitata iuuentus
Ad cœlum laudes efferet vsq; tuas.
De speculis teneræ iuuenes, longo ordine, fundent
Flores, & mixtis lilia cana rosis.
Tunc ego bella, fero partosq; ex hoste triumphos,
Et quæcunque tibi rapta trophæa manu,
Cantabo, atq; animos Musæ, viresq; secundas
Sufficient, magni tunc erit oris opus.

Et

Et carmen faciam blanda testudine, quale
    Vix Clarius doctis temperat articulis.
Nam tu mi exacues varia ad conamina mentem,
    Fiet & ingenij vena beata mei.
Vt narrem fusos populos, à Gadibus, vsq;
    Auroram, & Gangem, pressaq; colla iugo.
Mira hæc narrantem stet circumfusa iuuentus,
    Exemplo & discat maxima obire tuo.
Et fortunatum me dicant, fortia Diui
    Cui dederunt tanti scribere facta Ducis.
Mincius ad cantum liquidis caput exerit vndis,
    Et ventura refert præscia lingua Dei.
Minciades nymphæ assultant, placidissima turba,
    Euinctæ crines frondibus Herculeis.
O' multùm dilecta Deo Gonzagia proles,

Itala qua est cunctis terra beata mage.
Te sine nil altum fiet: tu caussa salutis,
Oenotriæ per te restituetur honos.
Vt non inuideat geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas Manto maxima Roma tibi.
At tua, VINCENTI, proles fœlicia condet
Sæcula, falciferi qualia regna Dei
Senserunt, belli & portæ compagibus æreis
Claudentur, nequeat quas reserare furor.
Tum pax fronte gerens sertum pallentis oliuæ,
Arua colat, celeri non abitura pede.
Et rigidos videas passim conflarier enses
In falces, cornu copia læta suo
Diffundet fruges. mixtis, vaga turba, puellis
Agricolæ, ducent læta per arua choros.
Tunc

Tunc mihi, cui modò prætexuntur arundine ripæ,

Et caſiam, & violas terra beata feret.

Mi nec aquam poterunt venti turbare ſonantes,

Conſtrictam aut rigido detinuiſſe gelu.

Vera loquor, nec enim fas eſt mendacia Diuum

Dicere, nec linguam commaculare iocis.

Mincius hæc: illum Nymphæ, clamore ſequutæ,

Excipiunt: liquidi perſtrepit aula Dei.

HOstes dum fundit sæuos VINCENTIVS, & dum

Qualia nemo prius, fortia bella gerit.

Obstupuit gaudens Bellona hastata cruentis;

Nec potis est fratrem credere: quippe valet

Viribus, ingenioq; magis quàm frater. ad illum

Rectà ergò pergit: cominùs esse videt

Non Martem, sed qui tractet prestantiùs arma,

Eminùs ac fuerat visa videre sibi.

Quare acta inuidiæ stimulis, crepitantia fratris

Aerea tecta subit, quèis furor, & rabies,

Et timor, & pallor: præceps audacia postes

Obser-

Obseruans, vllos non sinit ire dies,
Omnia quin turbet. magni datur arma tueri
Gradiui hìc, summa fecerat arte faber
Quæ quondam, ætnæis multùm sudata caminis;
Ensem pugnacem, terribilem galeam,
Quæ flammas vomat, & loricam ex ære rigentem,
Atq; hastam, atq; ocreas, & facilem clypeum.
Illic aspiceres magnorum bella gigantum,
Quos Iouis imperio fulmina missa petant;
Omnipotensq́; vt dextrà æquata cacumina cœlo
Diruat, huc, illuc impia turba fugit.
At Deus armipotens hominum fugientia monstra
Persequitur, toto funditur orbe cruor.
Parte alia horrificam protendens ægida Pallas,
Excipit Enceladi spicula fusa manu,
Atq;

Atq; illum ſternit, fulmen tunc iactat ab alto,

Et petit Enceladum Iuppiter altiſonus.

Cui iubet immanem ſemuſto deſuper Aetnam

Imponi. at feſſum cùm mouet ille latus,

Trinacriam videas ingenti murmure totam

Nutare, & picea texere nube polum.

Quinetiam curuum neruis qui temperat arcum,

Et citharam neruis, affuit ipſe Deus.

Nec iuſsit fruſtrà celeres volitare ſagittas;

Namq; cadunt Typhon, Porphyrionq; ferus.

Non niſi Phlegræas per valles funera cernas,

Et mortem indomitam, & terribiles furias;

Impexas ſæuos flauis pro crinibus angues,

Ardentes tædas concutiente manu.

Atq; hæc mira adeò celauerat arte magiſter,

Vt

Vt motum, atq; animos omnibus esse putes.
At virgo his fratrem aggreditur. fortissime Diuùm,
Mortalis poterit fortior esse Deis?
Vidi ego crudeli miscentem prælia luctu,
Et totis campis funera sæua dare;
Quo nullum memini tractantem fortiùs arma;
E minùs hic iaculis, cominus ense ferox.
Præ sumus & quoniam bellis, huic viuere longùm
Si dabitur, nobis nomina nulla manent.
Quare aut communis subeunda est alea belli
Nobis, vt duplici territus ense cadat;
Aut tu, fortè aderat tunc Phœbus, conijce in illum
Spicula, quæ certa dirigere arte soles.
Tum Phœbus. Tantæne animis cœlestibus iræ,
Pallas & obliqua exæstuat inuidia?

Vt iuuenem immeritum, quo non præstantior alter,
Otia seu ducat, prælia siue gerat,
Extinctum cupias, & funere mergier atro,
Sæcula quem Pylij viuere fata senis
Iusserunt; pater ipse Deùm, qui sydera torquet,
Et terras molli qui premit imperio,
Cui dedit esse pium, & iustum; quem maxima Iuno
Auxit prole bona; cui dedit alma Venus
Imperio dignos vultus, atq; aurea membra;
Illius atq; caput crinibus esse meis
Ornatum volui; frater Cyllenius arteis
Dicendi, & clarum contulit eloquium;
Cui Mauors quantum, iuga qui de vertice Nisæ
Tigres agens Bacchus flectere curua solet
Edomuit victor, voluit cessisse cienti

Bella,

Bella, quibus Manto proferat imperium,
Præstantes quà non penetrare ingentibus ausis
Ipsa suos vidit maxima Roma Duces.
Quid quæris? videas certatim ardere Deorum,
Huic vni ornando, suffragia, atq; animos.
Tam caro capiti tu sola es Pallas iniqua,
Debueras cunctis quem decorare modis.
Quare age ne tantos voluas sub pectore fluctus
Irarum, atq; homini parce nocere Dea.
Quod superis placitum est cunctis, germana probato:
Egregius iuuenis fac sit in ære tuo,
Atq; illum donis exorna. tùm Dea contrà,
Huic quid præstabo, cui data cuncta simul?
At Deus auricomus, soror, inquit, dona supersunt
Multa tibi, iuuenem quèis cumulare potes:

Nam cœlum ſtellis potiùs, vaga flumina fluctu,

Oceanus ventis, flore carebit humus,

Deficiant Diuos quàm, quæ mortalibus ægris

Diſtribuant facili, munera larga manu.

Do quod vis, Pallas inquit; prolixior eſſe

In iuuenem nequeo: munera noſtra habeat',

Et cumulata adeò, Superis ſola ipſe futurus

Vt ſit mortali conditione minor.

QVA'M benè viuebant veteres, quando aurea virtus
In pretio, & quod estfasq;, decensq; fuit.
Non fucum facere, aut fraudem componere nòrant,
Omnibus ast inerat candida simplicitas.
Non positus campis limes, non claudere postes
Imposita voluit rustica turba sera.
At bona pars hominum solis degebat in agris,
Vertebatq; graui pingue bidente solum.
Atq; rudi calatho, nulla quæ coxerat arte
Vxor, portabat fercula grata viro.
Tùm grex in campis errabat tutus, & inter

Rustica fundebat carmina pastor oues.
Et Venus, & Charites, iunctis ad fœdera dextris,
Ducebant faciles læta per arua choros.
Nec quisquam incautos tentabat fallere amantes,
Quæ scitæ, illa eadem finis amoris erat.
Et modò lassati, mandantes membra quieti,
Carpebant somnos ad leue murmur aquę.
Nunc iaculo alipedes ceruos, cursuq; sequentes,
Arte fatigabant. retia nunc auibus
Ponentes, longi fallebant tempora Solis:
Tùm demùm alterni meta laboris erat.
Ipse puer Veneris fertur spatiatus in agris,
Lanigerum petulans impetijsse pecus;
Et primùm indocta iaculatus spicula dextra,
In rabiem versas exagitasse feras.

Hæc

Hæc olim: sed nunc, linquens & florea rura,

Et syluas, fuerat qui modò in arte rudis,

Aggressus miseros iuuenes, serenasq; puellas

Vrbibus exitium pernitiemq; tulit,

Atq; truces capiens arcus, sua tela sagittas

Proijcit, hic, illic plurima turba cadit.

Qualis populeas populatur nubilus Auster,

Cùm ferus ingeminat per nemora alta, comas.

Pòst illà ad rixas ventum est, ac iurgia, & omne

Humanum quatitur, Marte furente, genus.

Non pietas, non vlla fides, non numina Diuùm

Est pudor horrificis conscelerasse modis.

Nec cari fratris tenero se sanguine frater

Abstinet; exitium cogitat illa viri,

Coniugis hic; natoq; parens haud æquior; omnes

In

In vetitum, ſpreta relligione, ruunt.
Sæcula Saturni ſed condet viuida virtus
Mox tua, VINCENTI, cedet & impietas,
Et furor, & rabies; breuibus monſtra omnia tolles
De medio, Alcides ipſe ſecundus erit.
Gloria prima tua eſt; quanquàm configere ceruam
Aeripedem, ac Letho Geryonem premere,
Lernæamq; hydram rediuiua in colla tumentem,
Atq; Erymanthæum tollere aprum potuit.
Sternere vel ſæuum Nemeæ ſub rupe Leonem,
Vel gemmata humeris ſydera ferre ſuis,
Tu belli, & pacis confecto munere, laude
Implebis nitidi Solis vtranque domum.

SOPRA L'ARMI DONATE DALLA Santità di noſtro Sig. SISTO V.

AL SERENISS. SIG. VINCENZO Gonzaga Duca di Mantoa, &c.

O Del padre, e del figlio nodo eterno, (ri,
Che'n Cielo, e'n terra ogni dolcezza inſpi
E i cuori accendi à mille alti deſiri,
Cui ne cangia la ſtate, ò ſpegne il verno,
Tu, c'hai in man d'ogni bella opra'l gouerno,
Odi i pianti, Signor, odi i ſoſpiri
D'Italia, e tralla homai di que' martiri,
Onde sì par c'habbia la vita à ſcherno.
Habbiſi Grecia Achille, e Theti'l renda
Secur d'oltraggio. A' noi VINCENZO ſia
Duce, hor c'hà l'armi ſacre, e te ſua ſcorta.
Che lieue ſia vincendo aprir la porta
Dell'Oriente; & che, in sì longa via,
Quanto ſi varcherà, tanto ſi prenda.

Sopra'l medesimo soggetto.

DEL vostro alto giudicio, SISTO, è degno
Il don, ch'accende à' martiai lauori,
Via più, che quanti in se chiude thesori
La nuoua Spagna, e'l Perurano regno.

Con queste armi, vincendo, ir' oltre al segno
Di Bacco, domi i barbari furori,
Vedrem VINCENZO, e risuegliar' i cuori
D'Italia, offesi da vn lethargo indegno.

Poscia da innumerabil schiera cinto,
Carco d'altere Spoglie, in carro aurato,
Scorgerlo in Campidoglio l'alma Gloria.

E'n chiara voce l'alta sua vittoria
Roma cantando, voi, Padre beato,
Hauergli'l capo dell'alloro auinto.

AL SERENISS. SIG. VINCENZO Gonzaga Duca di Mantoa, &c.

O D'ogni altezza, & grande imperio degno
Signor, d'alta vertù pieno, e d'honore,
Che se fortuna haurai pare al valore
Al largo spatio suo, fia poco vn regno.]

Perche non hò lo stil chiaro, e lo'ngegno,
Come delle tue lodi hò colmo'l core,
Ch'io sperarei, del volgo vscendo fore,
Passar d'Homero, e di Vergilio'l segno.

Ben da quel viuo ardor, che mi sospinge
A' dir di te, ch'altrui dai forza & vita
Sento inalzarsi'l basso poter mio;

E'l diuin raggio tuo tanto m'aita,
Ch'io spero dir, mentr'ei m'illustra, & cinge
Parte di quel, che dir tutto desio.

IN FVNERE SERENISS. GVILELMI GONZAGAE

Ducis Mantuæ, &c.

TV muto cineri insultas mors aspera tantùm;
Namq́; animi dotes sydera clara tenent;
Dotes, quas docto vulgabunt carmine vates,
Perq́; omnes populos fama loquetur anus.